



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAESACRAS AEDESTEMPLUM CONCATHEDRALE BEATAE
MARIAE VIRGINIS

IN CAELUM ASSUMPTAE, QUOD IN APULIAE OPPIDO GRAVINA EXSTAT,

AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sacras aedes, quae
vetustate, arte, historia ac religione nitent, solent Romani Pontifices praecipuis honoribus decorare. Quibus

accensendum esse videtur templum concathedrale Gravinae, Apuliae urbis, Deo in honorem Beatae Virginis in caelum
Assumptae dicatum, quod, ex aliqua parte aedificatum a Normannis saeculo XI atque subsequentibus absolutum,

centrum spiritualis vitae eiusdem civitatis per temporis cursum exstitit. In eo insuper constat pie servari claras imagines

Deiparae memorato titulo invocatae et Sancti Michaelis Archangeli, caelitis Patroni loci, necnon baptismatis fontem, in

quo rite ablutus ac renatus est gratiae Benedictus Pp. XIII, Decessor Noster felicitis recordationis. Qua quidem re, cum

Venerabilis Frater Tarsicius Pisani, Episcopus Altamurensis-Gravinensis-Aquavivensis, litteris die III mensis Iulii hoc

anno datis, etiam cleri populiue sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus,

Nos, paternae benevolentiae signum dilectis filiis illius catholicae communitatis cupientes praebere, tam sollertis Pastoris

precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. E sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina

Sacramentorum, quam ratam habemus, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum

templum concathedrale, de quo mentionem fecimus, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus

factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae ecclesiis hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae

secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt.

Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*

Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Augusti, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto

decimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
